

Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis

Bucurestiis a die XXVIII Aug. ad diem III Sept. MDCCCLXX

En el número anterior de nuestra revista (pp. 315-321), ofrecíamos una amplia información acerca del Congreso Internacional de latín que se iba a celebrar en Bucarest. Nuestros lectores pudieron estar al tanto de la organización y preparativos del mismo. Ahora queremos recoger aquí las impresiones de dicho Congreso, celebrado en Bucarest del 28 de agosto de agosto al 3 de septiembre del presente año. Vamos a procurar ser lo más objetivos posible y para ello, siempre que el caso nos lo permita, nos limitaremos a ser simples relatores.

En el Congreso Internacional «De vita latina», celebrado en Avignon el pasado año, se anunció como sede del próximo la capital de Rumanía. No era solamente un cambio, ya que los anteriores se había celebrado en Francia y el último en Roma, abril 1956. Se trataba de un honor que se debía con toda justicia a una nación de lengua latina, asentada en medio de países muy distintos en cuanto a su cultura y que constituyó un tiempo la frontera extrema del Imperio romano. Además, por lo que hemos podido comprobar, en la República Socialista Rumana, la enseñanza de la lengua latina ocupa un lugar mucho más importante que en nuestra patria, por no citar más que lo que mejor conocemos y más nos duele.

Al igual que en los ya celebrados, en el Congreso Internacional de Bucarest se había constituido un *Consilium honoris causa*, del que formaban parte las personalidades más eminen-

tes de Rumanía: Ioan Gheorghe Maurer, Presidente del Consejo de la República Socialista Rumana; Mircea Malita, Ministro de Educación Nacional; Miron Nicolescu, Presidente de la Academia de Ciencias Sociales y Políticas; Gheorghe Buzdugan, Presidente del Consejo de las Ciencias; Ioan Livescu, Rector de la Universidad de Bucarest; Ioan Braescu, Decano de la Facultad de Filología Románica y Clásica; Alexandru Graur, Presidente de la Sociedad de Estudios Clásicos; Iorgu Iordan, Profesor Jubilado de la Universidad de Bucarest; Alexandru Rosetti, Profesor Jubilado de la Universidad de Bucarest.

El *Consilium Dacoromanum conventui constituendo* estaba compuesto por Nicola Barbu, presidente, y los miembros siguientes: Cicero Poghiric, Iancu Fische, Profesores de la Universidad de Bucarest; Haralabius Mihaescu, Constantinus Dragulescu, Profesores de Bucarest; Traian Costa, Mihai Nichita, Eugen Dobroiu, Prof. Doc. en la Universidad de Bucarest; Nicola Baran, de la Universidad de Iasi, y Gheorghe Gutu, Profesor en el Instituto Pedagógico de Bucarest. El secretariado del Congreso estaba formado por Eugen Cizek, Maria Hetco, Rodica Ochesanu, Roxana Iordache y Maria Titu. De entrada hemos de decir que tanto el Consejo ejecutivo como las diferentes personas que constituían el secretariado del Congreso cumplieron perfectamente con su cometido.

En la sesión inaugural, del día 28 de agosto, tras las palabras de rigor del presidente, en que se daba la bienvenida a todos los miembros del Congreso, diferentes personalidades, que representaban otras tantas Universidades o Sociedades de Estudios Clásicos, el Profesor Kumaniecki, en nombre de todos los extranjeros, saludó a la nación y a la capital rumana, agradeciendo de antemano todas las delicadezas de que íbamos a ser objeto durante el Congreso. Y para final de la primera sesión, el Profesor Barbu pronunció su discurso: *De summis bonis culturae Latinae*.

En vez de ir tejiendo una crónica de cada una de las sesiones, con sus diferentes peripecias, preferimos indicar aquí a nuestros lectores un resumen de las principales comunicaciones leídas o presentadas en el Congreso de Bucarest. La lectura de dichos resúmenes puede dar una idea aproximada del valor de las comunicaciones, que serán publicadas en las actas

del Congreso lo más pronto posible. He aquí, pues, resumidas las más importantes *orationes*:

ALFONSI, Aloisius: *De Graeca eademque Romana humanitate in Catulli carminibus.*

Iam a primis (multa satis lusi...) vitae suae annis Catullus et Veronae et Romae in Graecorum poetarum studium, Alexandrinae maxime aetatis, vehementissime incubuit; nec Latinis litteris non studuit: id quod carmen priapeum — *παρακλαυσίθυρον* — carmen 32, c. 6 alique luculenter demonstrant. Saphonem, tragicos poetas Graecos, cum Callimacho Theocrito Philitaqua cognovit et antiquos poetas Latinos (Ennium aliosque) et senioris aetatis (Valerium Aedituum, Levium). Peritissime arte usus est, sermonem plebeium cum nobili, communem cum docto permiscens, adeo ut Graecam humanitatem cum Latina coniunxisse videatur. At humanitas non ad solam *παιδείαν* spectat sed et ad *φιλανθρωπίαν* immo ad omnia quae ad hominem pertinent. Ideoque quot quibusque animi sensibus perfusum Catullus nobis se praebet! Bonam mentem amat, furorem abominans in hominum animis; libertatem adversus omnes potentes et iustitiam praedicat; pulchritudinem et urbanitatem et pietatem et fidem plurimi facit; otium et concordiam et bona studia colit fovetque. Hymenaeum bonae Veneris ducem, boni coniugatorem amoris celebrat; antiquorum tempora beata et honesta desiderat; ex moribus incorruptis virisque integris hominum historiam constare demonstrat, malos contra poenas persolvere deorum voluntate debere asseverans; almam poesin denique studium vitae primum et oblectationem summam, Philodemi sententiam secutus prae se fert. Omnia quae Graeca philosophia, Alexandrina praesertim aetate, de hominum vita et moribus docuit, Catullus, quem philologus quidam Italicus Epicureum finxit, cum aetatis suae suaeque vitae Romana consuetudine atque usu ipse coniunxit.

ARCURIUS, Brunus: *De noua pronuntiatione scientifica linguae Latinae,*

Monstratur quibus de causis viri docti diversarum gentium novam pronuntiationem scientificam adoptaverint. Disputatur primo de nomine novae pronuntiationis, quam aliqui «resti-

tutam» appellaverunt, id quod veritati non consentaneum est. Est enim nova pronuntiatio scientifica. Ostenditur deinde quibus argumentis, quibus probationibus, quibus scientiæ indicii nova pronuntiatio fulciatur.

AVALLONE, Richardus: *Quantum Latina lingua a media usque ad nostram aetatem floruerit floreatque.*

Hac aetate, qua, cum homo hominis cor transferat et iam teneat lunam et in alias stellas egredi conetur manifestius patet quantum Latinae litterae, quantum Latina lingua superioribus usque ad nostram floruerint aetatibus: nam non modo aetas, quae ex humanis renovatis litteris, et illa, quae ex renascentibus nominata est, toto suo splendore splendent, sed ipsa media aetas sua nobis vera luce apparet.

Quid enim quas supra diximus aetates fuerint inter omnes constat nec quisquam est qui —ut de artium fulgoribus taceam— litterarum opera Poggii Florentini et Guarini Veronensis et Gasparini Barzitti et Angeli Politiani, aliorumque minuere audeat.

Sed ipsa media, in litteris temporis spatium a VII ad XIV saeculum tantum complectatur licet, non obscura aut barbarica, sed splendida et gloria onusta aetas fuit. Quippe quae Graecitatis et Latinitatis monumenta studiose servaverit et tradiderit, quippe quae et nova opera condiderit, quippe quae auctores aut Paulum Diaconum et Alcuinum, Paulinum de Aquileia et Ekkehardum, Liutprandum et Petrum Damiani, ut Alfannum, aliosque, quos, ut spatio parcamus praeterimus, dederit, media aetas aequae aestimanda est: haud dubio mediam aetatem humanarum et renatarum litterarum praeparavit.

Neque credendum est post tam claras et operosas aetates Latinas litteras linguamque esse extinctas: immo magnus scriptorum —ut Comenii, ut Baconis Verulamii et Cartesii, Thomae Hobbesii et Lockii —numerus est.

ANDRÉ, Ioannes Maria: *De humanitate Terentiana.*

Hoc inter Terentianas fabulas maxime interesse uidetur quod saepius Terentianae personae in primis patres, humanitatis patrocinium suscipiunt. Sic fit ut ingenua mansueta lau-

dentur, leno atque miles 'inhumani' naturae repugnare uideantur. Terentius quidem, dum 'comicos stultos senes' irridet, nouam uiuendi rationem induxit atque haud difficile erit probatu illud, eam quam praedicet humanitatem tantum ab inhumana duritia quantum ab inepta indulgentia distare. Etenim illa humanitas non potest ab humanae naturae cognitione secerni, quia comicus auctor et Platonis et Aristotelis doctrinam in primis quae ad duplicem uim animorum atque naturam, sicut scripsit Cicero Panaetium secutus, pertinent, in fabulas suas admisit. Sic inuenit disparibus aetatibus neque eadem ingenia neque eadem officia esse; sic noua praecepta cum de uita agenda tum de pueris educandis tradidit.

BARAN, Nicolaus: *De Ouidio in Dacoromanis litteris.*

Monstratur quantum auctoritatis *Publius Ovidius Naso* apud scriptores Dacoromanos annis labentibus habuerit et quantum eis ualuerit.

In nostris litteris popularibus multae fabulae aut versiones ad ipsius relegationem pertinentes longe lateque vagabantur.

Nempe, in litteris scriptis, prima transductio operis Ouidii sed antiquissima —nostra cognitione— fuit illa anno millesimo sescentesimo undeciesimo, elaborata Sibii a *Valentino Franck von Franckenstein*, natione Germanicus: *Hecatombesentientiarum Ouidianarum Germanice imitatarum* (1679).

Miron Costin, vir humanissimus praeclarus, et suus filius, *Nicolaus Costin*, qui inter primos scriptores Dacoromanos septimo decimo saeculo collocati nonnullos versus ex *Ponticis, Fastis et Metamorphoseon libris* transtulerunt etiamque imitati sunt.

Duodeuicesimo saeculo, multi scriptores, inter quos *Petrus Maior, Basilius Popp, Iohannes Budai-Deleanu* maximeque *Demetrius Cantemir* et *Basilius Aron* fuerunt, in suis operibus multum Ouidii operibus usi sunt, ita ut ab initio usque ad finem undeciesimi saeculi multae et variae translationes operum Ouidii in Dacoromanum sermonem, factae sunt a compluribus scriptoribus clarissimis, quorum nomina operaque maximi momenti sunt.

Venit autem ille annus millesimus nongentesimus quinquagesimus septimus, quo per totum orbem *Bimillennium Ovidii* sollenniter celebratum est ita ut in Dacoromania et multa a multis doctissimis viris de poetae operibus scripta sunt.

BARBU, Nicolaus: *De summis bonis Latinae culturae.*

Monstratur multis terris populisque in suam potestatem redigendis, plurimis periculis obeundis, innumerabilibus hominibus, qui inter se ingeniis, institutis, moribus multum differebant, cognoscendis, maximi momenti societati hominum imperantibus, Romanos summa bona culturae creavisse. Quae sint summa bona culturae Latinae, quid sit Romani, quid sit in sempiternum tempus humani in his bonis ostenditur.

BARONE, Franciscus: *De lingua litterisque Latinis aetatis quae media dicitur.*

Antequam sermonem inducimus de litteris Latinis aetatis quae media dicitur ad indaganda quaedam earum genera, oculos breviter coniciamus in linguam Latinam eiusdem aevi. Quae, hac aetate, est sermo ubi animorum vita invenit invenietque, per aliqua saecula, suam elocutionem veram, naturalem quoad, paulatim, vernaculae linguae non advenit ad eam substituendam.

Latina lingua scripta aetatis quae media dicitur, est «sermo doctus», sermo formator quo utuntur praesertim sapientes.

Contra eum est lingua Latina «rudis» quam loquitur unus populus, sed nondum «sermo vernaculus» et quae saepe apparet in media Latina lingua docta.

Quae tamen manet totum longum aevum quod medium dicitur, constanter, sola lingua et reipublicae catholicae et illa universalis sapientium.

Ideoque etiam litterae Latinae aetatis quae media dicitur, sunt omnium gentium; non potest vero, communiter, collocari patria cuiusdam scriptoris, sermonis gratia, nisi vernacula lingua eum movit.

BÜCHNER, Carolus: *De humanitate Latina in De legibus.*

Quamquam vox humanitatis ipsa in Ciceronis opere, quod de legibus inscribitur, vix occurrit, iure quaeri potest, num forte liber primus eam totam contineat et describat. Nam etsi concedendum est humanitatis vim esse urbanitatem et clementiam nec sine amore litterarum, nuper pater Lott demonstrare potuit eam arte coniunctam esse cum iure; qui enim ius violat, humanitatis particeps esse non potest. Itaque cum primo libro ius a natura, id est de lege derivetur, non potest fieri, ut illa natura ab humanitate distinguatur. Quam doctrinam qua ius a natura derivatur non Stoicorum esse, Villey vir doctissimus praeclare docuit. Stoici enim ius civile non respiciunt. Neque autem recte ut positiva, ut dicunt, vituperetur, quod Cicero Stoicos secutus Aristotelicam notionem naturae refutavisset. Neque enim ipse ponit homo ius, sed lex, quae est perfecta ratio ut in mundo ita in mente sapientis. Coniunctio autem humanitatis atque iuris sententia ipsius Ciceronis est, qui perfecta natura intellecta, quam difficile sit alteram naturam vincere sit quamque necessarium ad salutem generis humani et dignitatem hominis. Iustitiam autem aliter servari non posse nisi ardenti amore humanitatis, id est perfectione naturae humanae, tempora nos docuerunt.

CAILLON, Petrus: *De lingua Latina docenda pueros sex annos natos et de schola Montessoriana Redonensi.*

Schola illa Montessoriana Redonensis fundata est anno 1945 a Domino Lanternier in ipso cenaculo domus propriae. Hodie, adsunt 250 alumni a duobus annis usque ad duodecimum annum (Ecole Montessori de Rennes, 8, rue de Robien, Rennes, Ille Vilaine, France).

Dominus Lanternier antea fuit vir militibus praepositus, edoctus in schola celeberrima cui vulgo nomen «Ecole Supérieure de Fabrication d'armement». Ille vir, quaesitor et sapiens, de condicione hominis cogitans, necessarium habuit scholam aperire in quam intrare possent infantes duo annos nati.

Sicut Dominus Lanternier aestimabat doctrina Montessoriana omnibus aliis opinionibus in materia paedagogiae praes-

tabat. Isto anno, celebratur primus centenarius nativitatís Mariæ Montessori.

Doctrina Montessoriana tractat de maximo momento primorum annorum vitæ humanæ. Itaque, in schola montessoriana Redonensi pueri linguam Latinam ab anno sexto incipiunt, linguam autem Graecam a septimo, etsi scientiis variis operam maiorem dent.

Proponere audeo ut quidam illustrissimi professores in urbem Redonensem eant et postea condent similes scholas pro pueris qui iam secundum annum expleverunt et studium linguæ Latinæ quando sextus annus impletus fuerit incipient.

CAZACU, Boris: *De Latinitate linguæ Dacoromanæ.*

Lingua Dacoromana non est aliud quam continuatio linguæ Latinæ in Orientali parte imperii Romani, in regionibus quæ sinistra dextraque Danubii patent. Quamquam in non Romano medio crevit, lingua Dacoromana cum in morphologia syntaxique tum in amplitudine vocabulorum se originis Latinæ esse monstrat. Quod auctor orationis demonstrat cum propria linguæ Romanicæ ostendat, phrasí in qua verba non Romanicæ originis sunt disceptanda.

COLEIRO, Eduardus: *De Vergilii vi in recentibus epicis carminibus creandis.*

Vergilius ita epos fingit ut res de qua agitur ad eventus pertineat qui quam maxime reipublicæ sortes, qui fortunas generis humani, qui res a viris praeclaris pulchre gestas ut apud scriptores rerum extant vel in fabulis a maioribus traduntur attingant. Res gestæ ab uno praecipue geruntur viro qui heros dictus et nescia fortunæ cedere virtute, et prudenti ductu et mira pietate ceteris eminent et quem alii, virtute et ingenio et ipsi clari viri, quamvis ei inferiores, comitantur vel ei adversantur; qui saepe etiam eventus sibi proprios conflant quos 'episodia' hodierni rhetores vocant. Res gestæ consilio plerumque geruntur deorum quorum numine iussuque et vates et qui in futurum prospicere valent heroas iuvant vel impediunt. Quin Vergilius et amatoriam ex Alexandrinis ductam de

Didone adicit partem quae nescio qua dulcedine moralia peccata moxime tangit, immo alteram addit partem quae *φαντασίαν* alat delectetque quamque ex ficto in libro sexto creat et haud aliter ac vera esset in medium profert.

Quibus praemissis inquiritur quid de his rebus artem Virgilianam efficientibus susceperint ei qui epos epicumque carmen per Europae fines a media aetate usque ad hodiernum diem exaraverint; quid Provinciae scriptor de Rolando Cantus; quid per Italos fines Dante, quid Boiardus, quid Pulcius, quid Ariostus, quid tandem Tassus sibi sumpserit; quid per Lusitanos Camoes ceterique; quid per Britannos Milton; quid per Franco-Gallos Voltairius. De omnibus et singulis quousque Virgilianam artem secuti sint vel ab ea discesserint disputatur.

COSTA, Traianus: *Quantum Vergilius in litteris Dacoromanis constituendis valuerit.*

Si Vergilio primo forsitan e Latinis scriptoribus incolae antiquissimi nostrae terrae, Daci, innotuerunt, eiusdem nominis hac terra in primis mentio facta est, nam Ovidius, exul Tomitanus Vergilium memorat et uersus Mantuani inscriptionibus Sarmizegetusae insunt. Post renatas litteras, Maroniana in bibliothecis Cibinii, urbis Ultrasilvaniae, inuenimus, sexto decimo saeculo hexametros Vergilii cantabant alumni Transilvani, lectitabat Moldaus princeps Heraclides, cui Sommer, scholae Cotnariensis Latinae magister, elegias Vergilianis frustulis refertas dedicabat. Insequenti saeculo rerum gestarum quoque scriptores nostri Myron Costin et Constantinus Cantacuzenus, Patauinae Universitatis studiorum propago, Marone maxime delectabantur. Circa annum 1700, eruditissimus illorum temporum philologus et de Aeneide scripturus Stephanus Bergler Transilvanus Vergilio operam dedit. Integras uersiones in Dacoromanum sermonem saeculo praecedenti debemus quo poetae nostri Vergilium perlegunt, amant, imitantur. Michael Eminescu, nostratum maximus uates, Mauricii Haptii Berolinensis magistri Vergilianis lectionibus perfusus est, at Georgius Cosbuc Aeneidos et Georgicon libros in patrios hexametros transtulit. Curenti saeculo Maronis bis millesimum natalem celebrauimus, poemata indagamus, interpretamur,

uertimus, et horum temporum philosophotatus Lucianus Blaga dignus fuit Vergilianus poeta nominari.

CROISILLE, Ioannes: *De picturae usu in Latina lingua docenda.*

Annos iam permultos urbium quas Vesuuius mons sepe liuit parietes pictas perspicienti mihi est in animo de usu imaginum disserere quae ab antiquis ipsis nobis traditae sunt ad linguam Latinam docendam.

Nam tabulae a Romanis pictae, si eas ante discipulorum oculos ponimus, eisdem coloribus quos antiqui uidere poterunt, uitam quasi integram praebent quam illi uixerunt. Quibus tabulis triplici modo utemur: primum omnium apud grammaticum uocabula melius memoria retinebunt discipuli, si ante eos imagines illarum rerum posueris de quibus locutus eris, quarum descriptiones Latino sermone primum ipse faciet magister, tum de iisdem eos interrogabit; quod propositum nonnullis exemplis illustrari potest a uita cottidiana, a mythologia, a religione sumptis;

quod cum primo gradu fecerimus, scriptorum opera, poetarum praecipue imaginibus illustrare possumus, qua re Vergilius uel Ouidius uel Martialis melius intelleguntur;

— si denique penitus id uinculum cernere uolumus quod existit inter picturam litterasque Latinas, de iudicio spirituque communi loquemur quae docti uiri eodem tempore in parietem ornatu poetarumque operibus animaduernerunt.

Discipulos ergo imaginum ope de rebus primum uitae simplicissimis, tum de scriptorum operibus, omnibus denique de rebus quae ad humanum pertinent loqui discere speramus.

CSILLAG, Paulus: *De iure humanitateque Latinis.*

Tria monstrantur:

1. *Conformatio ideae humanitatis Latinae.* Cogitatio humanitatis peregrina stirpe orta suum nomen et proprium uocabulum ab Italia ducit. Conceptio *philanthropiae* in se continet moralem, intellectualem et ad artem educandi pertinentem sententiam philosophiae Hellenisticae, quae ponit primo loco aestimationem pretii naturae et personae hominis. *Humanitas*

consentit cum alieno. Haec ratio vergit aperte ad *humanitatem* iuris Romani antiqui.

2. *Progressus humanitatis Latinae*. P. Cornellius S. Aemilianus iunior Africanus, Polybios, C. Laelius, C. Lucilius, P. Terentius Africanus, Panaitios, Polybios, C. Laelius, C. Lucilius, P. Terentius Afer, Cicero primas partes agebant in explicatione *humanitatis*. *Humanitas Latina* in actione versatur et utilia inter se comparat cum speculatione Graeca. Oratorum et iuris peritorum parallelismus in consuetudine loquendi *humanitatis Latinae*. *Humanitas* vehementer commovet iuris Romani emendationem. Ea tendit ad humanum et honestum consilium in territorio iuris Romani antiqui.

3. *Cursus humanitatis Latinae in iure Romano*. *Humanitatis* genera distingui aetatibus. Convictus et collisiones *humanitatis* gentilis et Christianae. Ex quo tempore utitur iuris disciplina significatione *humanitatis*. Continenter mutatur significatio *humanitatis* in iure Romano, quae regnantibus imperatoribus in *humanitates Latinas* reviviscit in saec. XVI.

DOBROIU, Eugenius: *Quid Petronius de Latino vulgari sermone cogitaverit*.

Saepe in Satiricis glomerata inuenimus uerba, quae forma aut significatione inter se uel similia sunt uel diuersa; quae res indicat auctorem secum de linguae crescentis problematibus meditari. Nec est mirum, nam Petronii aetas in ea tempora incidit in quibus ars grammatica Romae magno in honore est et plurimum progreditur. Curiosus autem scriptor prioribus, nescimus an aequalibus quoque suis, in numero quorum Verrius ille Flaccus est, opinionem praestat quam de quibusdam Latinae linguae motibus habet. Itaque primus magnum putat uocales, praeterquam longitudine, etiam apertura oris differre; qua uero differentia aetate nostra ratio redditur nonnullorum aspectuum mutatorum, quos linguae Neolatinae ostendunt. Petronius intellegit eius generis esse mutationes, quibus analogia subsit, immo etiam intueri uidetur nouitates, si linguae indoli non conuenerint, breui esse perituras.

DRAGUELESCU, Constantinus: *Quibus rationibus, quibus technicis instrumentis Latina lingua docenda sit.*

Monstratur quanti momenti sint ultima technica instrumenta, si cum notis methodis consociantur, ad docendam linguam Latinam.

EICHENSEER, Iosephus: *De Germanorum usu mediaevali linguae Latinae.*

Germani, qui aetate imperii Romani vergente in provincias Romanas invaserant, aliquatenus lingua Latina coeperunt uti, etiam ultra fines pristinos Romaniae antiquae. Itaque temporibus medii, quod dicitur, aevi in Germania ad christianitatem conversa non solum studia theologiae philosophiae litterarumque, quibus adnumerabatur historia, Latine gesta sunt, verum etiam artes magis practicae, ut mathematica, medicina, musica, arithmetica, anatomia, chirurgia, phlebotomia, alchimia (et chemia), botanica, chronographia, geographia, geometria, physica, mineralogia, zoologia, ars computistica, ars venatoria, technologia artificum et opificum. Insuper omne genus epistularum et monumentorum et diplomatum et annalium et chronicorum et vitarum et traditionum et translationum et miraculorum Latine condebatur. Denique varia cunctaque genera poesis, ut carmina, cantica, cantilenae, sequentia, comoediae, fabulae sive piae sive scaenicae, breviter quidquid est artis poeticae, Latina componebantur. Praeterea multitudo innumerabilis titulorum inscriptionumque Latine conditarum omnibus in locis invenitur. Qua consuetudine usuque linguae Latinae copia verborum indigentis novis dimidio fere aucta est. Hunc in modum Germani cum suas ipsorum res Latine tractaverunt eodemque sermone usi cum aliis populis permultis necessitudines firmas feliciter coniunxerunt.

FREIRE, Antonius: *Quantum Latina lingua renatarum litterarum aetate in Lusitania floruerit.*

Lingua Latina, quae etiamnum in Lusitania haud omnino iacet (immo in eo res est ut, maiore pretio habita, eius augeatur in scholis mediis studium), mirum quantum renatarum litterarum tempore apud Lusitanos in honore usuque fuit.

Non enim solum eam summo cum lepore usurpavere scriptores praestantissimi, eximii ii quidem eiusdem linguae cultores, quos inter Hieronymus Osurius, qui quidem Ciceronis Lusitani iure ac merito appellationem promeruit, Antonius Ludovicus, medicus, a quo volumina quindecim aut eo amplius maxima venustate Latine exarata sunt, Emmanuel Alvares, auctor egregius praeclari illius operis quod, «De Institutione grammaticae libri tres» inscribitur, quodque in idioma quatuordecim conversum plus quingentas editiones sibi adscivit, Andreas de Resende, scriptor Latinus elegantissimus, Damianus de Gois, eruditus Latinitatis cultor, Ludovicus Crucius, praecipuus theatri neo-latini in Lusitania fautor idemque politissimus Latinitatis scriptor, potiores eminent, verum etiam, ubi clarissimus ille Magister Clenardus in urbem Bracaram adventavit, ut Latine ibidem doceret, tanto Latini sermonis studio auditores inflammavit, ut brevi cum sutores in sutrinis tum piscis etiam venditricis per vicos venalium mercium praeconia Latine ederent.

GROLLIOS, Constantinus: *De Graeca humanitate in Ciceronis philosophicis libris.*

De Graeca humanitate in Ciceronis philosophicis scriptis unus auctor praesto est, Plato; qua re, ut nostra fert opinio, ei, qui inquirere in animo habet quas sententias Cicero secutus sit, saepe cum huius philosophi disciplina Romanum scriptorem conferre necesse erit. Certissimum autem est Ciceronem plura ex Platone, nihilominus etiam plurima e traditione Platonica, hausisse, cum Cicero illum philosophum valde admiraretur et omnibus Graecis anteponeret et maxime diligeret, quemadmodum in «De Legibus» Atticus nobis dicit, ita vero, ut Platonem deum philosophorum ipse nuncupasset. Posterique quoque, quos idem in philosophia morali ad humanitatem pertinenti approbavit a disciplina Platonica imbuti fuerant et ad traditionem ex illo Graeco philosopho ortam saepissime confugerant.

Quam ob rem quoniam posteriores fontes Ciceronis amissae sunt, consequens esse videtur ut conferamus Ciceronem cum his Platonice notionibus: sic enim fons *ultima* earum saltem inveniri potest.

HIJMANS, Benjamin L.: *De libro XIII Aeneidi a Maphaeo Vegio addito.*

Si nec Turnum tragice depinxit et virtutis quam hominis imaginem Aenean esse maluit poeta, ars Vegii, quem Vergilium non fuisse iam dudum novi, improbanda minus quam consecranda Vergilii in litteris renascentibus interpretatio in animo est: quaeritur qualis poeta qualem Vergilium miratus confecerit *Supplementum*, cuius dispositione inspecta duas invenimus res inter se contrarias duosque viros cum his rebus coniunctos. Aeneas pacis finisque laborum, Turnus belli insaniae personam agit. Cum prima libri pars Turnum Martisque mala, altera autem Aenean pacemque laudat, tum totum supplementum (ut ita dicam) rhythmica inter ea oscillatione ornavit poeta ea ratione, ut ex pr. pompae Turni funestae triumphalia multa tribuit ornamenta, nulla autem triumpho Aeneae, cuius virtus solis sociis servatis apparet. Drancis sermonem, cuius v. 357 versum notissimum (Aen. 65, 95) laudet, totius libri esse minimum eblemata poeta voluit. Neque multum abest quin Vegium sextum Aeneidos librum tamquam speculum totius interpretasse operis putemus. Eodem modo Aeneas vv. 85ss. socios allocutus Aen. 198ss. in memoriam redigit. Ex eo sermone ipsum Aeneidos ingenium collegisse Vegium e supplementi dispositione comprehendere possumus.

HIJMANS, Marion: *Quibus rebus propositis litterae Latinae docendae, discendaeque sint saeculo vicesimo octavo post Urbem conditam quaeritur.*

Insequendo modos linguae Latinae docendae varios et subducentes ex iis, quae discenda sint, viri docti discipulos discipulasque retinere iam diu conantur. Quamvis sit grave modos docendi quam optimos invenire atque comprobare, tamen eos modos rebus esse subiectos duabus necesse est: sit praeceptor studiis Latinis imbutus et sint res bonae ex humanitate Latina profluentes hodie plane propositae. Nec alteri altera proferenda.

Hoc loco mea de condicione posteriore intererit aliquantum amplius disserere, et sub titulis duobus.

1. Aut revera hodie Latinitas non diutius valet deditis aliquot exceptis, aut si valet gentibus probanda est. Inter nos humanitatem Latinam magni faciendam constat. Saepe autem nos idem, quanta et qualia studiis insint, clare exprimere non scimus. Ut hoc faciamus ipsi de re perspicue censere debemus.

2. Si Latinitas etiam hodie valet, probanda est adolescentibus ita ut ei se dedere velint. Praeceptor igitur linguae Latinae per unum certe annum, antequam docere linguam incipiat, de humanitate Latina atque quantum valeat discipuli ut secum inquirant adhortari debet. Fervorem discipulorum ut efficiat ipsum studiis imbutum esse necesse est. Multis ergo eorum—ut exemplum afferam— qui hodie doctorati in Universitatibus Vivitatum Unitarum et Canadae locum petant, scholae egent.

IRMSCHER, Ioannes: *Quantum Latinitas quantumque Graecitas ad culturam Germanorum provehendam valuerit.*

Hereditatem antiquitatis in duas partes divisam esse constat, quarum una est Graecitas, altera Latinitas. Philologi et paedagogi, qui saeculo undevicesimo in Germania plurimum valebant, Graecitatem maximi momenti et ponderis esse ducebant, sed tamen quantum Romani culturam Germanorum prolexerint, non est negligendum. Ex temporibus antiquissimis testimonia cultus atque humanitatis Romanorum multa inventa sunt, non solum vici, oppida, artificum opera, sed etiam nomina locorum atque notiones ad agriculturam et architecturam pertinentes originem Romanarum renascentium temporibus disciplina more Romanorum docuerunt; quid esset res publica, quid esset imperium, Germani ab illis didicerunt. Qua de causa humanitas mediaevalis per longa aeva Christiana erat et Latina. Litterarum renascentium temporibus disciplina more Romanorum dicendi atque scribendi reperta est, virtutes autem Romanorum tarde et paulatim in Germania vim habuerunt.

KABRT, Ioannes: *De Latinae linguae in studiis naturae usu.*

Terminologia rerum naturalium est systema terminorum certa cum significatione atque regulis grammaticis inter se

coniunctorum, qui rem eiusque relationem illustrant. Quorum fundamentum est lingua Graeca et praecipue Latina, quae desiit esse lingua mortua et non usitata, sed vivit non solum in linguis, quae in ea suam originem ceperunt, sed etiam in terminologia scientifica, quae ex earum divitissimo fonte notiones haurit. Argumento vitae harum linguarum est quod antiqui termini hoc modo accepti necnon novi, recenter secundum leges formati, fundamentum facit artium atque scientiarum, quoad rem atque formam attinet.

Terminologia rerum naturalium scientifica aequo modo continuitatem temporum praeteritorum recentiumque atque consensum investigatorum totius mundi efficit. Quae ea de causa explicanda est una cum quaestionibus progressus atque cultus generis humani. In novis terminis fingendis regulae grammaticae atque ipsa res certae disciplinae neglegi non possunt.

Qua ex re elucet ad terminologiam percipiendam atque intelligendam peritiam linguarum antiquarum ad usum accommodatam necessariam esse.

KLUMSKA, Eva: *De variis methodis docendae linguae Latinae.*

Eventus, quos in lingua Latina edocenda sicut in ceteris linguis assequimur, magna ex parte in methodis a lectoribus siti sunt. Ea de causa talis ratio sequenda est, quae optimam fixationem vocabulorum linguaeque prudentiam confirmat, ut discipulus in uno quoque temporis momento sententiam exprimere et acquisitis cognitionibus recte uti sciat.

Etiam in lingua Latina edocenda, etsi lingua mortua putatur caedem fere methodi novissimae sicut in linguis recentibus applicandae sunt.

Novissimis temporibus lingua Latina diverso modo ad discipulorum futurum usum accommodata docetur. His propositis etiam methodus docendi respondeat, scilicet communibus normis ad linguam edocendam pertinentibus non neglectis. Una sola methodus numquam in omnibus casibus apta putanda est. Alia est enim methodus adhibenda in gymnasiis, in quibus discipuli diligentissime linguam eiusque grammaticam discunt, alia methodus adhibenda est in ceteris scholis, quae

discipulis in lingua Latina fundamenta solum ad studia superiora necessaria praebent, quae illis in his scholis protinus excolenda sunt. Aetas et eruditio praecedens summi momenti sunt. Apti idoneaque methodus meliores eventus affere potest.

KUMANIECKI, Casimirus: *De Vergilii apud Polonos fati.*

Inter omnes poetas Latinos maximam sane auctoritatem apud Polonos conciliavit sibi Vergilius. Etenim iam saeculis xv et xvi in Universitate studiorum Jagellonica vatis Mantuani carmina saepius quam aliorum poetarum a professoribus explicabantur, eclogae autem Vergilianae ad poesim bucolicam Polonorum saec. xvi conformandam et excolendam plurimum valuerunt. Neque silentio praetermittendus est clarus poeta Polonus M. Sarbievius, qui in tractatu q. i. «De perfecta poesi» cum Scaligeri vestigia premeret, abstinere non potuit, quin Vergilium Homero anteponeret. Saeculo autem xvii quo poesis epica Polonorum effloruit, poetis illius aetatis etiam Vergilium patrocinauit. Neque aliter res sese habuit illuminati aevi temporibus, cum C. Kozmian «Georgica Polona» componeret. Postea autem cum Poloniam servitutis iugum ferre coacta esset, Aeneae diuturni errores, felix in Italiam adventus, Troiae quae quamvis deleta Romam peperit imago Polonis tamquam spei lux in tenebris prae lucebat. Addendum est etiam «romanticos» poetas Polonos Homericae poeseos admiratores pari amore Vergilium coluisse. Testimonio est summus poeta Polonus Adam Mickiewicz qui non solum saepius Mantuani vatis vestigia secutus est etiam Vergilium, «nostrum amicum Maronem» appellare non dubitavit.

MAGUINNESS, W. S.: *De novis linguarum litterarumque antiquarum programmatibus in Universitatibus Studiorum Britannicis nuper institutis.*

Explicatur quibus praesertim vitiis philologiae classicae historiaeque studia doctrinaeque in Universitatibus Britannicis laborassent quibus medendi causa in programmatibus studiorum et in ratione discipulos experiendi examinandique haud parvae mutationes aut factae essent aut cogitarentur. Horum summam in eo consistere dictum est quod usque eo linguae

studium valuisset ut vix satis litteris altius inspiciendis aestimandisque temporis operaeque insumeretur; pariter autem et in litterarum et in historiae studiis atque doctrina nimiam minutiarum rerumque obscurarum insolitarumque habitam esse rationem. Tum exponitur quae programmatum mutationes factae sint ut haec incommoda sanarentur vel levarentur.

MICHEL, Alanus: *De humanitate Latina in Ciceronis Rhetoricis*.

Plurimi hodie negant humanas mentes uel inter se colloqui uel uniuersam uim haurire sapientiae. Quibus doctoribus litterarum artes nihil inuenire uidentur nisi uerba, uerba, semper uerba, neque aliud quicquam in discipulorum institutione excolunt, nisi eas scientiae partes, quae singulorum negotiorum ancillae sint. Cicero autem res cum uerbis, sophistas cum philosophis, otium cum negotio ita coniungere uult ut hominem homini conciliet, dum eius uniuersam uim in perfecta quaerenda oratione comprehendit. Quid est enim dicere nisi comprehendere? Itaque, dum multi nostris temporibus de humanitate simul desperant ac de litteris, Ciceronem sequi possumus, qui litteras humanitate ita fundauerit ut utrumque studium unum fecerit. Quamdiu homo uiuet, tam diu litterae.

OROZ, Iosephus: *Quanti praesentia Vergili in poetis bucolicis Hispanicis saec. XVI habenda sit*.

Aliqua exempla examinationi proponenda adducit auctor, in quibus Eclogarum Vergili praesentia, non tam stylistica quam realis, in maximis poetis Hispanicis artis renatae euidens effulget. Exponitur quo sensu et quo modo Mantuanus poeta musam pastoralem Hispanicam fouerit atque auctor fuerit, saeculo XVI.

Vergili praesentia manifeste apparet in poetis qui translationem Eclogarum in linguam Hispanicam faciendam curauerunt, uel qui interpretationem allegoricam carminis Vergiliani sequuti sunt. In primis nominandus est Antonius Geraldinus qui, etsi in Italia natus, magnam aetatis partem in Hispania transegit et cui opus *Carmen Bucolicum* debetur, seu anthologia textuum latinorum scholae destinata. Itemque in Iohanne

del Enzina Vergili praesentio clara uidetur, quippe qui translationem fecit, interpretationem allegoricam sequens. Opus Re-gibus Catholicis dicandum uoluit, intentione politica. Postea examini subicitur opus poeticum Garcilasi de la Vega, qui Eclogas scripsit Vergilium aliquando sequens. Tandem de Aloysio Legionensi, praeclarissimo poeta artis renatae Hispanicae, qui carmina Vergiliana in linguam Hispanicam transfere-nda curauit. Non solum praesentia uatis Mantuani sed etiam spiri-tus et inspiratio Hispanica in translationibus Aloysii Le-gionensis auctor abunde monstrat.

PACURARIU, Demetrius: *Quantum Latinitas ad constituendas litteras Dacoromanas valuerit.*

Romana origo Dacoromanae nationisque linguaeque asse-verata est animi magnitudine a doctis uiris Dacoromanis, iam ab ini-tiis Decoromanae culturae.

Apud multos Dacoromanos scriptores saeculorum XVII-XVIII uidetur —ex. gratia in operibus Mironi Costin, Demetriique Cantemis— uerborum circuitiones stilumque prosae Latinae orationis propriis impulsum esse. Recentioribus temporibus, opera scriptorum Latinorum in Dacoromanum sermonem translata sunt. Multi scriptores Latini, ut Vergilius, Horatius, Ouidius sunt, multum in litteris Decoromanis constituendis valuerunt. Litterae culturaque Latinae magnam vim ad clas-sicismum Dacoromanum constituendum valuerunt, qui aeta-tem, multis litterarum operibus editis, distinctam non novit, ut exempli gratia, Francogallicus classicismus, sed cum roman-tismus apud nos floreret, apud multos scriptores, ut Heliade Radulescu, Gregorius Alexandrescu, Constantinus Negruzzi, Basilius Alecsandri, Alexander Odobescu fuerunt, classicismus cum romantismo de dignitate pugnavit. Id factum est apud alios scriptores Dacoromanos qui aliorum litterarum cursuum participes erant.

POGHIRC, Cicero: *De Latina humanitate apud Michaellem Eminescu.*

Dacoromanorum ualde excellentissimus poeta, Michael Emi-nescu (1850-1889), strenuus linguae litterisque Latinis fautor fuit. Clarorum rerum Romanarum scriptorum nomina saepe-

numero apud eum inuenias et sententiae, fragmenta non solum in eius oratione soluta scriptis, sed etiam in poematibus, quorum duo Latine, alterum «Mortua est», alterum «Memento mori» inscripta incidunt. Latinorum poetarum mirator, aliquot uersus et Lucretii et Ouidii et complures Horatii mirifica arte et genuino versu Dacoromanice uertit. Latina humanitate imbutus, splendidissimas Romae Graecoromanaeque antiquitatis imagines depinxit et Saphica stropha conscriptam «Oda in metru antic» nobis reliquit. In fine suae perbreuis uitae omnes disciplinas Latina lingua in gymnasiis docendas censuit, qua de causa sine dubio Michael Eminescu nomen praecursoris praeclarae Latinitati inter omnes gentes fouendae Academiae meruit.

POPESCU, Florin: *De humanitate Latina apud Basilium Alesandri.*

Indagatur quantum humanitas operum Latinorum, quae magni momenti Basilio Alesandri fuerunt, sensum eius uitae formauerit. In operibus, in quibus humanitas Latina magni ponderis fuit, uideri clare potest qua ratione Dacoromana humanitas, humanitate operum Latinorum ex quibus Basilius Alesandri hausit impulsa, dulcissimos fructus ederit, pro temporibus quibus cultura Dacoromana accreuit.

POESCHL, Victor: *Quid Germania ad Latinam Culturam provehendam fecerit.*

Postquam viri eruditi saeculo undevicesimo philologiae classicae fundamenta iecerunt et rationem textus constituendi et fontium explorandorum sagacissime eruerunt, saeculo demum nostro ad rem ipsam se verterunt: poetas Latinos ut poetas, historicos ut historicos, philosophos ut philosophos, interpretari coeperunt. Sed gradatim tantum auctores Latinos Germanici philologi recte iudicare potuerunt, cum praesertim diutius quam oportuit libros Latinos ut fontes solum librorum Graecorum qui interierant dignos esse putauissent, Plautum ut fontem comicorum Atticorum, Ennium tragicorum, Cicero-nem philosophorum aetatis Hellenisticae egentes. Hodie tantum, scriptores Latinos eorum ipsorum causa legere coepimus

atque iis quoque rationibus uti studemus, quae ad litteras recentiores explicandas inventae sunt.

SCHMID, Wolfgangus: *De Lucretio in Germanicis litteris XVIII-XIX saeculis labentibus.*

Exponitur imprimis quibus deliberationibus adductus Goethe, clarissimus ille Germanorum poeta, ad Lucreti poetae Romani poema didacticum melius intelligendum novam viam temptaverit, non tam ipsam doctrinam quam imagines eam depingentes respiciens. Quod ut aptius fieri possit antea diversae Lucretii interpretationes saeculis praegressis a philosophis aliisque viris doctis prolatae examinantur, Finem denique faciunt quae spectant ad saecula XIX et XX.

SCHNUR, Henricus: *De Germaniae aetatis renatarum litterarum Latinitate.*

Latinitas Germaniae quam radicitus brevissimo temporis spatio (exeunte saec. XV) in melius reformata sit, nonnullis exemplis demonstratur, in hisce praecipue areis:

1. in pueris docendis. 2. in prosa oratione scribenda. 3. in fabulis scaenicis recitandis. 4. in versibus pangendis. Exempla vero sumentur ex Alex. de Villa-Dei «Doctrinal» et Aventini «Rudimentis Grammaticae»; ex eiusdem Annalibus et Vernerii Rolevinck, «De laude antiquae Saxoniae», et fabulis «Crodus» (Kerckmeister) et «Stylpho» (Wimpheling) et «Henno» (Reuchlin) inscriptis; atque eiusdem aetatis versibus nonnullis.

VERDIERE, Raoul: *De Vergilio apud Andream Gide.*

Ii qui operum Gidianorum studio flagrant atque et nocturna manu et manu diurna Andreae Gide opera iuuenilia uersant, haud nesciunt personis quibusdam nomina vergiliana esse, inprimis Menalcan, qui, ut uiri docti opinantur, sententiarum Gidianarum auctor fautorque est. Unus ex ultimis libellis, cui «*Nunc manet in te*» titulus est, non solum ad alliciendos uirorum interpretantium animos aptus est, quod ostendit quomodo Andreae Gide coniugium et sibi et uxori suae atrocissi-

mus error fuerit, sed etiam Cirim ab nostro lectam esse probat. Pugillares autem, in quibus fere cotidie per sexaginta annos scripsit, ostendunt probantque scriptores Graecos Latinosque amore singulari amare Andream Gide. Ex illis pugillaribus dilucidum est illum ab ultimis annis istius inhumanissimi belli ad extremos annos uitae Aeneia carmina feruentissime lectitasse. Ipse accurate dixit Aeneida tres aut etiam quattuor horas cotidie legisse. Sed flagrans studium Vergilii non impediabat quin Andreas Gide seuerius iudicium de Bucolicis exprimeret.

* * *

Aparte de las recepciones, como es de rigor en estos casos, los congresistas tuvimos la ocasión de visitar lugares llenos de historia, tanto para los que se dedican a la lengua y cultura latinas, como para los interesados en la cultura de la nación rumana. Nos referimos a las dos excursiones que tuvieron lugar durante el Congreso: a la región donde estuvo desterrado Ovidio, y al norte del país, en la región de los monasterios: Suceava, Sucevitza, Moldovitza y Vononetz. Cada una en su estilo dejó un recuerdo imborrable en los congresistas.

Hay que decir que en todo momento reinó el interés por la cultura y la lengua latina. En todas las sesiones se empleó la lengua del Lacio. Aunque también hemos de confesar que a veces resultaba un tanto difícil comprender las comunicaciones, a causa de la notable diferencia de pronunciación, según los países a que pertenecían los oradores. La misma lengua latina fue la que sirvió, al final del Congreso en los postres del *Convivium conventus claudendi*, para dar las gracias a los organizadores y a la nación Rumana por las delicadezas con que en todo momento fuimos atendidos. Ciertamente la República Socialista Rumana supo mostrarse a la altura de otros países en la organización de nuestro Congreso Internacional de Latín. (Añadamos que, en aquellas mismas fechas del *Conventus omnium gentium Latinis litteris linguaeque fovendis*, se celebraban en la capital rumana nada menos que 4 Congresos: De historia de la Medicina, de Física, de Derecho rumano y de Métodos de Enseñanza).

En la sesión de Clausura del Congreso, el día 2 de septiembre, al final de las diferentes intervenciones de los delegados de varios países, el Prof. Barbu, leyó las conclusiones, con que damos fin a nuestro reportaje:

V O T A

1) Demonstratum est hunc Conventum fuisse vero Conventum humanitatis Latinae.

2) Quod attinet ad methodos linguae Latinae docendae, semper valent et probantur et quae dicta sunt in superioribus Conventibus, et quae dicta sunt in Conventu Bucurestiensi. Quibus speramus fore ut magistri utantur.

3) Quo altius in antiquitatem penetrare possimus, imprimis ediscenda est Lingua Latina, relictis translationibus (quamquam nonnullae alumnis auxilio esse possunt), ita ut discipuli opera veterum scriptorum ipsa lingua Latina legere possint.

4) De pronuntiatione linguae Latinae quae in prioribus Conventibus optata et decreta sunt semper valent et probantur.

5) Tempore quo die tricesimo mensis Augusti anno millesimo nongentesimo septuagesimo ad monumentum Ovidii Tomis fuimus nuntiatum est, moderatoribus Reipublicae Socialis Dacoromanae faventibus, condi Societatem scientificam quae Ovidianum appellatur. Academia Latinitati inter omnes gentes fovendas favet incepto et ominatur ut omnia prospera ac fausta eveniant.

6) Ut alumni diversarum gentium magis magisque Latinitate imbuantur, exoptatur ut peregrinationes fiant, quibus vestigia monumentaque Romanae antiquitatis ubique terrarum spectari possit.

JOSE OROZ.